

00B5

U

9/482
a

PARTUS HUMANUS

Sive

DISSERTATIO

PER BREVIS DE HU-
MANI PARTUS NATURA, TEM-
PORIBUS, ET CAUSIS; EX MEDI-

tullo veræ Medicinæ Theoricæ eruta,
& concinna Methodo pro-
posita

a

JANO-CUNRADO RHÜMELIO
Medicinæ amatore, F.

Valer. Maxim. libr. 8. c. 3.

Sapientissimi artis suæ professores sunt;
à quibus & propria studia verecundè & aliena
callidè æstimantur

NORIBERGÆ.

Curâ SIMONIS HALBMAYERI,

Anno

MDCXXIV.

MAGNIFICO, NOBILISSI-
MO, DOCTISSIMO QVE DOMINO
DECANO, TOTIUSQVE INCLU-

ti Collegii Medici florentissima Reipublicæ

Norimberg. Dnn. D.D.

D. Clarissimis.

AMPLISSIMO, CONSUL-
TISSIMO, PRUDENTISSIMO-
QUE VIRO DN. THEOPHILO RI-

CHIO, Monasterii Speinshartensis

Præsuli meritissimo.

REVERENDO, DOCTISSIMO,
VIGILANTISSIMOQUE VIRO,
DN. M. SALOMONI BLECHSCHMID,

*Pastori Sulzburgensi & Ecclesiarum Vincina-
rum Inspectori solertissimo.*

D.D.D. Patronis & promotori-
bus suis perpetim colendis, humi-
lis observantiæ ergo

D.D.D.

JANUS CHUNRADUS
RHUMELIUS Medi-
cinæ Studiosus.

Amplis



Amplissime Domine Decane, Vosque Viri Nobilissimi, Magnifici, Reverendi, Clarissimi, Fautores plurimum honorandi. Triennium est, ex quo, nescio quâ causâ aut casu partus hic humano de partu mihi excidit. Spirabat tum parùm, nec respirabat; ita sanguini implicatus, & membranis suis involutus & provolutus. Antevertisse tempus, tempus ipsum & illius imperfectio perfectè manifestavit.

Reposui ergò & deposui hæctenus; sed apud unxavis etiamnum, dubito quâ occasione, vitalem reperi. Amnion scissum, fissum chorion, effluxum humorem deprehendi, quo insperatum spiritum trahere licuit.

Quapropter nullus dubitavi hoc Marte spiramenta libera, liberâ etiã arte vitam consequi posse. Quocirca & Medicos &

A 2

patri-

4 EPISTOLA

patrinos & nutricios investigandos cen-
 sui, investigavi, inveni. Scilicet hos,
 quos artis excellentia partui subvenire
 suasit; beneficentia eulogium nomen dare
 jussit, & denique amoris monumentum
 lactare imperavit. Obsecundare arti libu-
 it, quæ partui meo necessaria visa est ob
 inde quidam defectum. Quod si enim Lu-
 dovico II. Pannonum & Tzechia-
 dum Regi hæc necessaria fuit, veluti
 tactus medium, de quibus integumentum
 ἀπὸ τῶν ἰσχυρῶν, & agger quasi quidam exsu-
 dantis & exundantis humoris; atque o-
 sculorum vasorum ad cutim pertinenti-
 um exosculanda occlusio, ornamentumq;
 asperæ, inæqualis & crassiusculæ cutis;
 partui videlicet regio & egregio, atq; ob-
 tinuit: Multo magis meo, gregario ni-
 mirum; qui auræ expositus, illius & in-
 vidorum tactui obnoxius, robore solidò
 & solito membrorum destitutus morsibus
 livoris sustinendis non est, nativâ suâ
 imbecillitate benivolentiam hæc illat per-
 fluentem sibi assiduam continere nequit:
 nec ora iniquè judicantium cohibere aut
 obstruere valet. Obtinebit, spero, à vobis,
 quod

Joan. Sam-
 bucus rerū
 Ungaric.
 appendic.
 m. p. 754.
 An. 1506.

DEDICATORIA. 8

quod submissâ voce & gestu humili à vestris Ampl. expalpat, quas artis suæ, id est Medicæ actores & disputatores optimos esse novit. Ad quid? Επιδεξιδα poscit Vestro opere, hoc est, perfectionem, quâ insultibus omnibus par sit: quos Amplissimi nominis Vestri intuitus retro agere certum est. Nostis corporum παθήματα quandoq; Medico præsentate etiam inimicorum excitare συναλγυσίαν: pari ratione misericordiam expetit & expectat manibus sub vestris hostium, id est, Lividorum, tener hic partus. Favebitis, scio, & fovebitis; quia in idem Vestrum Theatrum scilicet humanæ miseriæ, vobiscum spectator esse cupit & sectator, immò etiam pedisequus. Sed quid multis, humanitas vestra est, nec humanos exsibilatis homines: sed humaniter excipitis & accipitis opem laturi presentaneam.

Te, Magnifice Richi. patrinum & patronum elegit fœtus hujus nomine haut effœta observantia, quâ Te perpetim collo, quâ in me meosq; exundas & abundas hæctenus. Patere te hoc pietatis officio præfectû; à te profectû (& ad eò provectû,

A 3

ut ad.

7 EPISTOLA DEDICATA.

ut addi nihil possit) benignitatē in hoc passu, exiguo hoc monumento testatā facere permitte, & rogare, ut perennes patronus perennis clientis. Tu verò divasēias Sulz-
burgensis Episcopi reverende, amorilitatum esse ἀποβασίω, quo mea prosequeris, & Tua veneror, scias. Φιλοσοφίας est nutrimum partus hujus te designatum, cujus vis ad ima penetrat, ad prima ascendit, & petit altissima; sine quā cum Sisyphi saxo præcipiti casu in occasum devolvitur. Lacte igitur favoris & amoris porrò lacta, quo ex uberibus tuis attractus, exuberet postmodum demerendi studium: quod, ut Tuæ Reverendæ dignitati, & Amplissimo, Clarissimoque Viro Dn. Richio: ita Nobilissimo Dn. Decano totique incluto Collegio Medico perpetuum sanctè polliceor! Neagoræ 25. die Martii. Anni 1623.

Vester
observantia
omni officio devotiss.
studio

Janus Chunradus
Rhumelius

ELEN-



ELENCHUS CAPITUM.

Cap. 1. **C**ontinet proëmium, totiusq;
dissertationis propositionem.

2. Partus naturam explicat, definitionemq;
nominis & rei.

3. Exponit requisita tria partus; quatuor
formationis tempora, foeminae cur velocius cre-
scant extra uterum?

4. Contrarium partus edocet, Abortus
quid sit? quid sit effluxus? quotuplex abortus?
quam diu foetus in utero mortuus sine matris ex-
itio perdurare possit?

5. Cause abortus enumerantur internae, ex-
ternae.

6. Utrum liceat Medico propinare phar-
maca amblotica sive abortum facientia.

7. Partus differentiae recensentur: Natu-
ralis partus quid? ejusdem conditiones: Doloris
partus cause: cause retentiarum secundinarum:
cause ob quas partus difficultas contingat: Partus
Caesareus quid? ejus cause, exempla.

8. Partus non naturalis quid? ejus species:
artus legitimus quid? quid illegitimus?

A 4

9. Par.

8

9. Partus tempora in triplicia spatia dividuntur.

10. Mensium & dierum distinctio, eorumque in partu judicando acceptio.

11. Partus humani terminus primus septimus mensis. Septimestres triplices: Initio septimi mensis nati cur moriantur? Exempla septimestris partus. Rationes ob quas vivant septimestres. Octimestris partus moritur, cur? cause septimestris partus. Utrum terminus aliquis velocior sit, quam septimus mensis: partus computatio.

12. Secundus partus humani terminus: Arithmeticorum de Nonimestri sententia: eadem de Decimestri. Annus sexagesimus tertius cur climactericus?

13. Terminus partitudinis ultimus. Undecimestres an sint?

14. Cause partus duplices: Universales partus cause foetus respectu: cause respectu uteri. Respiratio infanti cur necessaria.

15. Cause partus particulares octo.

SYNO-



CAPUT I.

DE humani Partus natura, temporibus & causis, tot dissentientium opinionum sunt agmina, quot capita in mundo Doctorum esse videntur. Percurrat aliquis mensium & dierum logismos, logos ferè defecerit: Consideret aliquis causarum latentium investigationes; ipsa pænè *ueneris* defuerit: suspiciat aliquis parientium & partus affectiones; exprimendis affectibus vix quisquam subfece- rit. Attamen audeas aliquid, aliquid esse, si cupis. Vasto in mari navigantes opum causa aliquando ad scopulos infames Acro Cerauniorum allisos videmus, ibique fluctuantes aliquamdiu periclitatos deprehendimus: Verùm audaces & intrepidus membra quassatae navis recollegisse illos, colligere licuit, atque animos erexisse ad salutaris & prosperae cujusdam stellae fulgorem nitidum: Pari ratione indiscrepantium opinionum Syrtes delatus, hoc modo inter fluctus tumultuantes ad doctissimorum virorum adspectum quicquid animo agitan- dum

Nomen
dissertatio-
nis.
Ratio.

dum soleo conformare: eorumdemque cal-
culis additis, quod veritas, quod ratio, quod
ipse naturæ genius suaserit, confirmare non
erubesco. Oggannis quidem, sciole, affatim
hæc dicta & scripta ab alijs, longè politiori-
bus verbis, multo elegantiore methodo? E-
quidè doctiores meo Tuoq; genio & inge-
nio hancce materiæ seriem tractandam sus-
cepisse fateor: at simul & semel uno quasi
fasciculo ob oculos posuisse infiteor, immò
pernego. Consulendum igitur duxi aliorum
egestati, qui decumanis illis voluminibus
solvendo non erunt, nō sciolorū aut marcu-
rum perfidæ censuræ. Penes legentē sit intel-
ligentia, intelligentem iudicium, judicantē
experientia, experientiam ratio, rationem
veritas, veritatem victoria subsequitor. To-
ta verò hæc tractatio de partu hominis no-
men sortita est: cū primū partus naturā,
requisita & differentias è penitralibus Medi-
cinæ Theoricæ eruere placuerit: Dein ratio-
nis & generationis ductu partus in-
quirere tempora: & novissimè
ejusdem abditas rimari
allibuerit causas; ut
in sequentib. vi-
dere est capi-
tibus,

CA

CAPUT II.

CIRCA partus naturam, præ omnibus investiganda veniunt nominis appellatio, Rei finitio, ad eandem pertinentia, eisdem repugnantia, & denique differentia notabiles. Philosophi enim monitum est: *αρεσ τὸ ἀρεθῶς διδάσκειν δεῖ πρῶτον ἐξιστάζειν τὰ ὀνόματα.* Ut igitur ad id, quod res est, deveniam: Mirari principio convenit, naturam & divinam rationem omnibus insertam rebus, quâ non tam eâ ipsæ sunt, quàm certas consecutæ nomenclationes, quibus ignorantibus formam, reapse illam declarare proclive sit, id quod (ne longius abeam) præsentem in causâ cernere licet & libet. Partus enim latinis à pariendo, actione scilicet, dictus est, eadem ratione, quâ Græcis *τόκος* à *τίκτειν* vel obsoleto verbo *τέκειν*: Hebræis *לדה* ledhah, quæ vox est ipsa radix & extat Jeremiæ 13. c. v. 21. Equidē, quàm feracissima hæc rerum natura sit, mirari, quàm inquirere satius duco: Cùm tanta rerum existentium multitudo sit, ut in quavis linguâ verba deficient, Exemplum præstò est in hac, quam tractare suscepi, materiâ. Spectare enim tibi licet partus vocem incipiò pro statuto pariendi partusque gerendi tempore priscis acceptam fuisse. Hic Plinii mihi auto-

Aristotelis
calculus.

autoritas subfecerit, qui hæc verba dictavit: Cæteris animantibus statum pariendi & partus gerendi tempus est. Quod si verò malueris Phœnicem illum Philosophiæ Pelasgum audire: Cætera, inquit, animalia omnia singulari ac simplici modo partum suum perficiunt. Deinde hanc ipsam vocem apud Latinissimos scriptores ad editum in lucem infantem traductam, deprehendimus. Testis est Martialis:

l. in amphithe. cæs. epigr. 14. l. 8. c. 32.

Nec jacuit partus, sed matre cadente cucurrit.

l. 1. de naturâ Deorum

Testis est idem Naturæ mystes Plinius: Editos partus exercent cursu. Denique vocabuli hujus usum in pariendi actu designando frequentem asserit Latini Eloquii parens Tullius: Diana adhibetur ad partus, quod ii maturescunt aut septem, aut novem lunæ cursibus. Addit Calculum Gloria illa Pieridum Propertius:

l. 2. Eleg. 3.

Non, non humani partus sunt talia dona.

l. 1. Æneid.

Nec aliter Romula Siren:

Matre gravis geminam partu dabit Ilia prolem.

Definitio.
Rodericus à Castro de morb. mul. p. 1. l. 4. c. 1.

Atq; hæc ultima vocis acceptatio nostro omnino accommodata proposito videtur. Statuimus enim Partum esse geniti in utero infantis, atq; jam perfecti in lucem editionem.

CA-

CAPUT III.

Absolutâ nominis & rei finitione ad
 cætera pertexenda progrediar. Ete-
 nim manifestum est, absoluti in utero foetus Requisita
 editionem solummodo partus nomine ap- partus tri-
 pellendam esse, cum ad eam perfectionem plicia.
 non solum recta & apta lineamentorum
 compositio, partiumq; firma & concinna
 dearticulatio: Verum etiam robur, *παχύτης*
 crassities sive corpulentia (quâ voce Plinius
 l. 11. c. 53. utitur) concurrere debeat. Hinc
 nulla exclusio foetus humani antè septimum
 facta mensem partus nomine indigitanda Quatuor
 venerit, sed abortus. Quatuor enim forma- formatio-
 tionis tempora à Medicis, qui abdita naturæ nis tēpora.
 scrutantur, traduntur. Unum, quod I.
 initio statim à congressu amplexuque mu- Lévin. Lén.
 tuo seminis naturam obtinet, quo tempore de occult.
 conceptus & genituræ appellationem me- mirab. na-
 tuit. Fermentata cerè semina inter se co- tur. l. 4. cap.
 alescere multi deprehenderunt, veluti cre- 23.
 morem quendam, ut lactis concretionem:
 quod Patientiæ illud Exēplar hisce designat Job. cap:
 verbis: Nonne sicut lac fudisti me? & tanquā 10. v. 10.
 caseum coagulasti me? Huic verò perfecti-
 oni in utero prima attribuitur septimana.
 Alterum cum benignissima illa mater, ut- 2
 tiq; facultas secreta & latens suis viribus
 atque

atque insitâ potentiâ manifestam seminis mutationem molitur, adeò, ut tota massa carnea potius & sanguinea, quàm seminalis conspici queat, idque fieri duodecimo ferè aut decimo quarto ab inchoato formationis die statuendum est. Tertium, quando evidenter & perspicuè principes partes, epar, ex quo venæ; cor, ex quo arteriæ; cerebrum; ex quo nervi ortum trahunt, conspiciamus, quod ad decimum octavum primi mensis diem sese extendit. Licet verò non exigua inter doctos dissensio sit de partibus illis, quæ primò generentur: tamen manifestum vasa antè viscera gigni debuisse; id quod Clarissimus Anatomicus Casparus Bartholinus probat hac ratione prægnanti: Quod viscera nutriri non possent absque instrumento proportionato. Umbilicalis igitur Vena primò perficitur & absolvi-
tur ratione amplificationis sanguinæ; non ratione primæ constitutionis ex semine. Ut enim ex nucleo vel semine in terram misso, primò descendit in tertiam radice oblonga, quæ postea in multas didita fibras superficiem terrestrem occupant, ex quibus tum truncus, tum rami exurgunt: Sic ex semine in uterum immisso primò vena umbilicalis oritur sanguinem ex utero excipiens ex placenta uterinâ, ex quâ umbilicali vena portæ cum radicibus originem trahere afferi-

In præm. in
Anatom. p.
5.

asseritur. At ne intricatam hanc litem meam
facere ac Penelopes telam texere videar, aliis
extricandam committo, quibus multum con-
troversias serere curæ est. Restat ultimū for- 4
mationis tempus, in quo extrema membra
articulata atque exquisitè elaborata videri
posse adstruunt; cum jam palpitare fœtus
& pallulascere incipiat: quod fieri existi-
mant ut plurimum trigesimo die in mari-
bus ob caloris abundantiam, in fœmellis
verò ob ejus defectum tardiùs tribus qua-
tuorve diebus. Etenim ex Hippocrate,
Aristotele, & Galeno constat ob caloris
abundantiam mares intra uterum citiùs ef-
formari, quàm fœminas: Siquidem à de-
biliore calore tardior fit dearticulatio: Post-
quam verò semel formata est fœmina &
intra & extra uterum velociùs incremen-
tum capessit; propter humiditatem. Quip-
pe humidiora corpora, sicuti fœminarum
promptam admittere extensionem, & aug-
mentum citiùs consequi animadvertimus.
Verùm enim verò cū hujus facultatis imbe-
cillitas major sit in sequiori, quàm in melio-
ri sexu, desinit citiùs in ipsis hoc incremen-
tū & vita brevior contingit, quæ saltē adje-
cisse me obiter lector meminert. Concludo
tandem, partus nomine nullam fœtus e-
missionem appellandam esse, quæ non
septi-

l. de naturâ
pueri Ari-
stot. l. 7. de
naturâ a-
nim.
Galen. l. 6.
Ep. 2. 44.
Fœminæ
velocius
crescunt
extra ute-
rum.

septimum attigerit mensem : quin immo ;
quæcunque celerius contingat, abortus no-
men per omnia tenere.

CAPUT IV.

Abortus
quid?
Ejus speci-
es?
Effluxus
quid est

Thomas
Colladon.
observ. in
Laur. Ana-
tom. c. 74.
Magirus
Patholog. l.
I. Sect. 4. c.
35.

AD contrarium partui eruendum me-
thodi nostræ nos vocat ratio; simul-
que Philosophi præceptum, τὰ ἐναντία
ὡδὸν ἀλλὰ μάλιστα φαίνεται. Ut autem res eluci-
data magis clarescat, tum abortus finitio-
nem, tum causas dabimus. Circa finitionem
observare licet omnia abortus nomen con-
secuta esse, quæ à naturali ortu seclusa vi-
dentur, qualia Embryonis imperfecti edi-
tio, foetus in utero mortui exclusio, & ἐκρυσίς
sive effluxus, qui est genituræ antè perfectā
formationē sive à causâ internâ, sive externâ
facta expulsio; quam septimum intra diem
contingere nonnulli opinantur & κατὰ χρο-
νὸν abortum ita vocari affirmant. Est
verò abortio, disjunctio puelli à matre ab-
ruptis antè tempus vinculis, sive intus ma-
neat, sive exeat, seu mortuus, seu vivus, sem-
per tamen non vitalis nec superstes futurus.
Quippe experientiâ compertum habemus
sejunctum à matris acetabulis seu cōtyledo-
nibus embryonem aliquamdiu superstitem
esse, licet non diu: Et, si jam mortuus sit po-
testate foetus, nondum tamen actu, immo
actu

actu vivum esse. Posse itaq; credendum est à matre corrumpi foetū, sive adhuc vivat, sive vitam cum morte comutârit, atq; adhuc in utero existat. Hinc Hippocratis solertissimi medicorum vox est: *ὅταν ἡ γυνὴ ἐκπετρώσκει καὶ τὸ παιδίον μὴ ἐξίη*: atque alio in loco; Harpalidæ sorori prægnanti &c. *τὸ κύημα ἐπὶ πλείστον χρόνον ἀκίνητον ἦν, ὡς διεφθαρμένον καὶ μετέπειπε*. Hic igitur locus interpretū doctissimorum iudicio, ita intelligendus est: Cùm foetus intrâ non moveretur, veluti corruptus; decisus videbatur & mortuus.

Diversa autem sunt decidere sive translabi, & mori, quorum illud aut foras ex utero expelli, aut manentem in utero solutâ cōpage per coryledones ab eo separari, quibus sejunctis à venarum Chorii osculis, nihil amplius proles societatis habet cum utero, nisi ut contentum præter naturæ seriem, etiam si aliquamdiu vivat; nihilominus abortus vices sustinet, cùm à vitali usurâ recesserit & insanabiliter separatus sit: hoc *ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσιν* persentiscere. Ex his utique luce meridianâ clarius est, abortus nomen ad disjunctionem puelli à matre sive solùm in utero abrupta sint vincula, sive etiam exclusus sit foetus antè legitimum tempus, significandam assumptum fuisse. Ut enim haud multò antè diximus, non legitimum esse partum, qui septimum præ-

B

verteriē

l. i. περί γυναικείων

Epid. 7.

verterit mensem : ita quæcunque exclusio eundem temporis modum servarit, abortio existimanda est.

Quamdiu
foetus in u-
tero mor-
tuus nec se-
clusus sine
matris exi-
tio durare
possit?

Verum ad causas priusquam accedam, ardua sese satis infert quæstio : cum enim dixerimus foetum in utero mortuum vel à cotyledonibus disruptum, Hippocratis testimonio abortum dicendum, etiamsi seclusus non sit, necessaria exurgit quæstio : Quamdiu foetus abortivus utero gestari sine matris exitio possit. Varii Varia, in quibus liberum sit unicuique iudicium. Multi enim exempla nonnulla adducunt; quæ sive vera, sive fictitia nihil tamen veritati derogant: cum illa multorum annorum uteri gestatio tota miraculosa, tota citra naturæ limites, atque ordinem contigerit; de quibus sententiam inferre generalem absurdissimum. Nos verò salvo aliorum iudicio cum Hippocrate ejusque interpretibus eruditissimis non diu matrem superstitem esse posse, nisi primo quoque tempore impigre abortivi exitus procuretur, censemus.

Et qui non ita censemus? cum talis exitus sæpè lethalis sit matri, etiamsi citò fiat, quid fieret, si putrescens materia in humido & facile putredinem admittente loco containeretur? Bone Deus, quot convulsiones, quot lipothymia acciderent? quàm
diffi-

difficilis esset restitutio, mali fonte nondum exhausto & purgato. Ut enim sentina nisi optimè mundata sit à sordibus, veterem servat odorem, qui nares corrugare & avertere cogit : Ita putrida hæc materies, nisi quàm ocysimè removeatur ad varia symptomata adigit & propellit corpus humanum. Ne igitur matri extremo constitutæ discrimine auxiliares subtrahantur manus, & amor DEI & proximi, & præceptoris nostri libelli eruditissimi dissuadent. Hi enim ad quatuor dies abortivum embryonem sospite matris valetudine intra uterum contineri posse, aut remediis expelli debere disertè edocent; quo exacto tempore aut morbi desperatio aut ipsa mors succedat, nisi illico manu aut chirurgicis extrahatur instrumentis.

2.
Hippocr. l.
de morbis
mulierum.

Nec quicquam obstat, quod ob negotium periculi plenum hocce remedii genus repudiant, cum satius sit cum aliquâ spe hoc opus experiri, quàm matrè omnilevamine destitutam certissimo interitui relinquere.

Ὅταν ἡ γυνὴ, inquit senex peritissimus, ἰκτερώσῃ, καὶ τὸ παιδίον μὴ ἐξίη, ἦντε σαρπῆ καὶ οἰδήσῃ ἢ ἄλλοτι πάθῃ, hoc est, cum mulier abortum fecerit, & puer non egressus, sive fuerit putrefactus & intumuerit, aut aliquid tale passus &c. Quo in loco varia præscribit remedia quæ foetum ex-

Hippocr. l.
i. d. morb.
mul.



pellere soleāt, quæq; in uterū infundēda sint;
 Dehinc pergit: *Όταν ἔγχεες ἐς τὰς μήτρας ἔχεται
 κειμένη χρόνον ὅτι πλείστον: ἔπειτα καθίστον ἡμέρας
 πένταρας, καὶ ἐξέρχεται τὸ ἀποστασέν παιδίον. ἢ δὲ μὴ*
 &c. ad generosissima postea remedia deve-
 nit, quæ etiam cum periculo conjuncta sint;
 utpote desperatâ matris valetudine, nisi citò
 exiverit. Hoc autem tempus, ut alia omnia
 latitudinem habet, est & non est, aliquando
 citiùs, aliquando serius, prout uniuscujusq;
 fert constitutio: Quæ in præsentia *περὶ τούτου
 ζητήματος* dicta subficient.

CAPUT V.

Roder. à
 Castro part.
 2. de morb.
 mul. l. 4. c. 4.

Causæ re-
 spectu ani-
 mi.

CAusarū cōsideratio in abortu duplex
 est: Interna, & externa. Interna eaq; vel
 animi respectu vel corporis. Animi respectu
 abortū causantur omnes affectus vehemen-
 tiores, quos passionēs vocant, quales sunt
 gaudiū immodicum, quo animus cunctis ef-
 fusis spiritibus effertur: tristitia nimia &
 mœror ingens; Risus effusus, quo cum toto
 pectore omnia moventur membra & visce-
 ra, horror sive timor, Ira & indignatio, quâ
 fervet sanguis circa cor ulciscendi desiderio.
 Et certè nihil mirum iram inter affectus ini-
 micissimum esse fœtui humano, cū san-
 guis revocetur adeo que calor in cordis an-
 gustias comprimatur, & ita cætera mem-
 bra

bra veluti deserantur, ibique facilimè spiritus confundantur.

Hinc Chrysoſtomus hocce malum Homil: 16.
πρηλὸν πονηρὸν appellare non erubuit. in Matth.
 Sanè Lactantius aſſerit, quod ira, cùm in animum
 cujusquam incidit velut ſæva tempeſtas De irâ Lib. 1.
 tantos excitet fluctus, ut ſtatum mentis im- c. 5.
 mutet, ardeſcant oculi, os tremat, lingua ti-
 tubet, dentes concrepent, & alternatim ma-
 culet nunc ſuffuſus rubor, nunc pallor al-
 beſcens ! Caveat igitur mulier gravida ab
 hoc nocivo affectuum veneno, ne foetum
 ſuum temerario auſu è vivorum tollat thea-
 tro. Irritabile enim alias & vindex mulie-
 rum genus leviffimaque occasione in iram
 prorumpit. Undè Satyricus Juvenal.

----- *Quoties facit ira nocentem*

Satyra 6:

*Hunc ſexum & rabie jecur incendente feruntur
 Precipites, ut ſaxa jugis abrupta, quibus mons
 Subtrahitur, cli voq̄, latus pendente recedit.*

Ex parte verò corporis humani quatuor Cauſæ re-
 qualitatum primarum διανεμοσία abortio- ſpectu cor-
 nem procurant. Temperies enim calida poris.
 nimis humorem cunctum depopulatur,
 quo foetus deſtitutus neceſſariò corrumpi-
 tur, non aliter atque herbulæ nimio ſolis ar-
 dore exhauriente ſuccum è terrâ exareſcen-
 tes concidunt. Frigida autem, ut inimica
 naturæ, parùm alimenti embryoni ſuggerit,

B 3

quo

quo fit, ut necessario abortus subsequatur.

Hipp. 1. 5. Humida insuper, ligamenta colliquantia
aphor. 45. efficit, cum solidescere debeant, & si humore
acetabula plena sint facile foetus suffocatur,
retentrix debilior redditur; denique hiulcum
& patulum fit orificium matricis, quã ob
causã non potest non abortus crebrior accidere.

Joannes Heurnius Ultraject. med. Leidens: c. 7. de morb. mulier.

Novissimè sicca nimis ligamenta fragilia
& alimenti defectum causatur, non secus atque
chordæ nimis exsiccatae facili nisu rumpuntur
& planta in arenoso solo subito exarscit.

Hippocr. Aphor. 15. l. 3. Adde ad abortiendum plurimum facere
pharmaca frequentata, tenesmus sive tensionem;
alvi profluvium, sive diarrhæam, sanguinis fluxum,
uteri parvitatem & lubricitatem, erysipelas uteri,
tenuitatem foeminarum, nimiam crassitiem, & tormina acuta.

Aphor. 27. l. 5. Porro brevitates vasorum umbilicalium,
seu chordæ umbilicalis, quæ ultra sesqui spithamam
longa non est: Vasa itidem longiora collum infantis
ambientia abortum procurant.

Aphor. 34. l. 5. At ne tempus internis recensendis consumam,
ad causas externas enumerandas devenio,
quibus abortum promoveri perspicitissimum habemus.

Aph. 31. l. 5. Inter eas familiam ducit horrendus aliquis
objectus, ubi commæ arreptæ cordatis etiam steterint
& vox faucibus hæserit: subsequitur repentina
hominum dimicatio, & subito mortuorum
lania-

Causæ externæ.

laniatorumve inspectio, latronum sanguinē
 sitientium inexpectatus incurfus, insperata
 tonitrua & fulgura improvisa. Nec defuere,
 quas crebra sclopetorū explosio, inopinata
 nolarum concussio & turbarū clangor pre-
 properus ad abortum faciendum depulerit.
 Quam pręgnantibus subita aëris mutatio
 exitiosa quam aëris corruptio, experientia
 nō tā testatur, quam clamat. Quoties utero
 foetū expulit teter odor lucernarū? quoties
 venenatarū herbarū aut pestilentium radicum
 suffitus? violenta exercitatio, saltus crebrior,
 graviorisq; oneris gestatio & foetū antè tē-
 p⁹ ex utero & è vitā deiecit? Quam pestilens
 tussis pręgnātibus sæpè fuit? quam sternuta-
 tio iterata & paulò violentior? quam vomit⁹
 formatis jam infantibus, & nimia evacuatio
 fuit perniciosā? quot mali succi cibus, quot
 nimius pot⁹, inedia & fames perdidit pueros
 in utero? quot cōceptus iterata venæ sectio
 corrupit? Monstra itaq; mihi vidētur, quę, ut
 cōceptus impediunt crebris sanguinis missi-
 onibus & pharmacis purgātibus medicorū
 nonnullorum malēferiatorū operā abutun-
 tur, de quibus uberiùs sequenti capite agere
 consultum duxi.

Cæterum abortus causę meritò ejus-
 dem indicia excipiunt ponè sequentia. Ete-
 nim cum lac spontè è mammis effluerit,

B 4

illicò

Signa abor-
 tus.

Hippocr. l.

5. Aphor. 37

38. 44.

illicò futuram abortionem judicabis : nec
 minùs hocce rejeceris judicium, si utramq;
 mamillam gracilescere videas : idq; potissi-
 mùm si gemellos in utero mater habuerit.
 Marem utique si perdidit mater dextram
 tenuiorem, si foemellam sinistram fieri gra-
 ciliorem compertum est : laterum ventris-
 que molesta appropinquat coarctatio, lū-
 borum coxarumque infestat gravitas, capi-
 tis & oculorum dolor instat acrior, ventri-
 culi morsus deprehenditur, extremorum
 membrorū frigiditas animadvertitur, ani-
 mi deliquia præstò sunt nec desunt febrilis
 horror & periculosissimæ convulsiones,
 quæ si retrorsum fiant, & veluti comitiali
 morbo afficiatur mulier, medicamentum
 propinatum accusandum est violentiæ,
 quâ foetus expulsio procurata sit teste Ætio.
 Ultimò cum foetus jam moveri cœperat
 motusq; languidior & rarior evadit, cum-
 que abortiendi instat tempus ab utero pro-
 fluit aqua saniosa & carnis loturæ non absi-
 milis, quam cruenta subsequitur, hanc pu-
 rus sanguis, hunc grumi; hos citò fœ-
 tus aut formatus, vel vivus vel
 mortuus, aut informis
 certissimo seque-
 tur indicio.

l.16.c.19.

CA-

CAPUT VI.

INter ætatis nostræ medicos clarissimos
 haud levis disceptatio deprehenditur, su-
 per quæstione hac : utrum liceat Medico
 propinare *εμβρυολογία* medicamenta. ? Ar-
 dua mihi nimis videtur quæstio; quâ arguti
 & acuti duces in præliū cohortes adducunt;
 omnique vi uterque turmarum ductor vin-
 cere expetit. Singuli ferè singula. Nos verò
 rationibus adductis, quod veritas, quod do-
 ctorum consensus jusserit, nullius spectatâ
 autoritate, afferemus. Primùm autem sta-
 tuo Medico non licere medicamenta suade-
 re, quibus abortus procurandus, etiam si ex-
 tremum vitæ discrimen indè matri immine-
 at. ¹ Medicus si originem suam tueatur, à
 medendo non à necando eandem deductam
 esse reperiet. ² Medicus cùm vir sit *πολλῶν*
ἐν ταῖς ἀλλοτρίαις, non manus fœdis & cruentis
 hilce funeribus inquinabit. ³ Legi divinæ
 repugnat: Scribturn enim est: Non occides,
 quavis etiam ratione. ⁴ Amori proximi
 contrariatur, quâ nobis similibus, eandem-
 que nobiscum animam sortitis, vitales invi-
 demus auras: Et certè haut simplex homici-
 dium esse potest, cùm longam post se prolis
 feriem traxisse possit ejusmodi multis phar-
 macis dejectus embryo.

Utrum li-
 ceat Medi-
 co *εμβρυό-
 λογία* propi-
 nare.

V. Thomã
 Colladon.
 Roderic.
 de Castro
 1) Johanem
 Matthæum
 2) medic.
 3) Herborn.
 cetur. diffi-
 cultat. me-
 dic. 87.

B 5

Retu-

Retulit mihi Senecio quidam vitæ integritate conspicuus, in quodā Austriæ opido, cujus mihi nomē excidit, accidisse, ut mulier quædam ex impuro concubitu imprægnata, foetum paucis à motu diebus medicamento catarctico abegerit, nemine id sentiente: animumq; induxerit multis retrò annis peccatorum confessioni & mox sacræ *συνάξεως* administrationi interesse: Ingredienti autem illi templum obviam illi factum puerulum albicante indutum indufio, plurimis aliis stipatum ponè comitibus, uno eodemque habitu amictis, qui in hæc verba omnibus introspectantibus & audientibus ora resolverit: En crudelis & impia mater; non mihi soli, sed omnibus his, qui è lumbis meis oriundi erant, vitam ademisti: quibus illa auditis conciderit præproperè exanimata. Affirmavit porrò vir fide dignus in templo sibi hanc historiam in tabulâ depictam à coætaneis sodalibus monstratam. Quæ fabula, sive vera, sive ficta habeatur; insigni tamen utilitate non carebit. ⁵ Ipsi ethnici etiam hoc modo se à reatu homicidii immunes non esse sciverunt, negante patrum affectione, reclamante naturâ, repudiante ratione, prohibente ipsa religione. ⁶ Ipsum Hippocratis Jusjurandum omnibus observandum Medicis: *Ὁυδ᾽ ὄσα δὲ οὐδὲ φάρμακον*

Φάρμακον οὐδέτι ἀγνηθεὶς θανάσιμον; οὐδὲ ὑψηλήσομα
 Συμβουλίην τοίνυδε. Ὁμοίως δὲ οὐδὲ γυναίκε πάσσαν φθο-
 ριον δάσω. 7 Repugnare conantur mandato

7.

divino, cum hoc ipso partus dolores aver-
 sos cupiunt. 8 Imminuunt promissionem

8.

factam à diluvio Noacho ejusque posteris:
 Foetificate & augete, ac replete terram.

Gen. 9. v. 1.

9 Detrahunt laudibus divinis, quas orila-
 tentium & infantum DEUS indidit.

9.

10.

10 Nefario ausu societati civili manus infe-
 runt, quam multis membris spoliant.

Psal. 8. v. 3.

11.

11 Matrimonium hac ratione cum suo fine
 primario tollitur.

12.

12 12 Scortationi, libidi-
 ni impurae, incestui amplam fenestram hi
 ἐμβρυόκλονοι aperiunt.

Superfedeo proferre leges, quibus mu-
 lieres visceribus vim inferentes morte pu-
 niuntur. Quod si enim virum armatum
 aggredi & violentâ occidere manu nefas est,
 multò magis piaculum erit embryonem
 naturæ castris obvallatum è vitâ dejicere.
 Hisce præmissis, cum plura possimus; ad-
 versariorum primaria argumenta in lucem
 proferemus; iisdemque respondebimus pro
 tempore.

Leg. si mu-
 lier. 8. ad l.
 corn. d. Si-
 car: & L. cic.
 39. d. pœnis.

Joan: Casus
 polit. l. 7. c.
 16. qu: 2.

Palmarium argumentum est: Licet me-
 dico non solùm ægros curare per emenda-
 tiones humorum, confortationes partium,
 five

Objectio. i.

sive *περίσσειν*: sed etiam per *ἀφαίρεσιν κακοῦ πλεθίσματος*; non aliter atque agricolæ & hortulani arbores putare solent, ne rami aridi trunco exitium inferant. At ô præclaram sapientiam nec vivaci cedro indignam! quasi alterius morte & exitio vitam alteri mercari liceat, & mala sint facienda ut indè fiant bona. Num medicamento tuo catarctico malum malo pejus addes? Periculosissimum enim est, medicamento ejusmodi & foetum enecare, & foeminam in extremo vitæ discrimine constitutam periclitari simul. Quid si succumbat inter arboriendum? Nonne uno ictu duas cervices præcidisti, quod facillimè fieri potest, cum difficultas major sit foetum eniti mortuum & jam ferè tumescentem, quàm vivum.

2. Ratio. Altera ratio Hippocratis Aphorismo nititur; qui disertè asserit; mulierem utero gerentem morbo acuto capi lethale, quia, Galeno teste, duplex periculum, alterum, à febre ipsâ interimente foetum, alterum, quod ex longis intervallis cibum exhibentes defectu ipsum destruiamus foetum; si verò uberiores exhibeas cibum & febrem augebis, & mulierem enecabis. Cum igitur alterum eorum sit servandum, prospiciendum est matri in tempore, ne uterque pereat;

reat; quod cum fieri non possit, fatius est, ut embryo projiciatur, qui non multò post projiciendus est.

Sed, quàm speciosus pietatis prætextus; quàm ipsam naturam præ posterâ ratione avertemus? Quàm insignis mali levatio, malum augere propinatis pharmacis deleteriis? quàm eximia medicatio medicamento mortem inducere? Robustissima fœmina sit necesse est, quæ vim catarctici medicamenti intus agentis, fœtum enecantis, membranas disrumpentis involventes partum, & ligamenta, atque paroxysmos febriles simul & semel sustinere queat? Quid, quod Hippocrates ipse mulieri uteri erysipelate laboranti pharmacum bibendum dat, si modo gravida non sit? Securius itaque semper fuerit, & fœtus & matris rationem habere: sic enim plerumque factum est, ut uterq; supervixerit. Attamen si fœtum jam à morbi inveterati malignitate extinctum esse perspectum habuerimus, medicamento, quod illum expellat & mortui puelli, & peccantis humoris gratiâ, prævenire oportet.

Tertia est nonnullorum Hippocratis interpretum, quàm existimant conceptum nondum animatum urgente necessitate licere corrumpere, animatum verò nequaquam: atque de hoc ipso loqui senis circum spectissi-

Tertium
in Apolo
sec
Hippocratis
est homin
pharmac
pote dicit

4. Ratio
Aristo
pote

3. Ratio.
Roderic. de
Castro part.
2. de morb.
mul. l. 3. c. 2.

spectissimi jusjurandum asserunt; cum ancillæ dedecus verenti suaserit, ut saltando foetum corrumpere. Communis sanè hæc opinio est, & communiter eliminanda. Nam cum semen proxima sit potentia, ut homo fiat; qui *ἰνεύου* procurans ipsum expellit, idem facit, ac si hominē jam formatum perimeret. Theologis utique hoc factum non abs re homicidium anticipatum nuncupatū est. Detestandum hoc facinus, immò cane & angue pejus fugiendum est.

Tertullian. in Apologet:
Properatio est homicidii prohibete nasci.

4. Ratio. Aristot. 7. polit:

Contendit enim natura anxie foetum imaturum adhuc retinere & ad maturitatem perducere; ejusq; retinendi avida, non, nisi prostrata & evicta, amblothriddis cedit. Hinc manifestum est matrem maximè periclitari ex tantâ corporis concussione a medicamentis ambloticis ortâ, humorumque agitatione.

Argumentum quartum ex impiâ illâ veterum lege deducunt adversarii, quam Philosophus refert, ut quoties conceptus nondum animatus fuerat, liceat ipsam corrumpere, sin minus, nefas sit tangere. Lex certè lectione indigna est sanioribus Ethnicis, nedum Christianis: Quâ igitur ratione tam duri reatus conscientia medicorum innocens officium inquinabit, cum naturâ & specie, sed tantum gradu ab atrocissimo differat

differat infanticidio; semen conceptum expellere, & ne concipiatur, manibus pedibusque reniti. ? Atque ut omnia summatim complectar, Vos *επιβουλοῦς* appello & per viscera vestra interrogo, quâ mercede adducti sitis, ut hujus tam tetri negotii procurationem & tutelam suscipere vos non pigeat? Quam ob causam conceptum impedire conatis?

Ne tenerâ tua conjunx sub partu occumbat, ne molestias parientium sustineat, ne alendo foetui intenta domestica negligat negotia. ? Egregia scilicet ratio, quæ facinus capite mulctandum defendere possit. : Melius fortassis, si uteri parvitatem, matricis angustiam, os uteri conclusum, atque vesicæ debilitatem prætenderes, aut insigniorem aliquem uteri morbum. : Haberes hîc profectò faventes Medicos Aëtium & Avicennam, qui hoc idem in iisdem casibus permittere videntur. Excellens certè color, quò conscientia oculi perstringuntur, ut ipso etiam meridie cæcutiant, illectiq; plurimi infœdissimorum scelerum retia, deliciarum corporearum titivillitia, animi puritati, & rectæ conscientia testimonio ad justissimi DEI tribunal deponendo, præferunt. Virgines illæ, quarum Synesii interpretes mentionem facit, Virginita-

ginitatis laudem famamq; impollutæ captantes, cum castratis & spadonibus coitum facientes, (cum castra Veneris difficulter relinquerent) ne prægnantes redderentur, scortationis crimine damnatæ sunt æquè à Theologis, ac si compressæ à foecundis fuissent.

Quin immò homicidii damnandæ fuerant bestia hæ libidinosissimæ, quod voluptuosum ad hominum conservationem foeminae & Viri coetum ab ipsâ naturâ institutum cum solâ voluptate foedissimâ commutarent, & quos cives Patriæ, nepotes parentibus debebant, è medio tollerent. Vallesiani & Angelici. Vallesianos & Angelicos hæreticos sibi ipsis coelibatus ambitione virilia exsecuisse, aut or est Epiphanius. Equidem hos cælibes corpore, impurissimos animo, latronesque nequissimos multis damnatos synodis animadverto.

Tom 1. l. 2.
contra hæres:
hæres :
LVIII. &
LX. p. 232.

240.
ORIGENII.

P. 249.

De Origeniis ait idem Episcopus eruditissimus, quod, cum quendam deprehendisset, excusationem talem protulerit: Se omnes abominabiles effluxiones in terram dispergere. Et hæc, inquit Epiphanius, est horum detestanda operatio, mentem eorum decipiens, & ex Diabolo occæcata. Quod si ergò non licet semen perdere, & obstare ne uterum ingrediatur deliciarum & glo-

& gloriæ cupiditate: quantò minus conceptum ejicere, etsi nondum formatum. Tempora & quotidiana in iis exempla satis superque declarant, grande esse piaculum abortum ullo modo provocare; quandoquidem maximis cruciatibus ejusmodi Veneficæ in abortione periclitantur, aut si exinde evadunt, plurima patiuntur. Subsequi sæpius perpetuam sterilitatem videre est, nec ullos vitales, qui alioqui ex eadem matre nasci poterant, generari filios. Quippe Numinis divini vindicta reas has foemellas cædis multiplicis & prolis futuræ carnifices jamdudum infernalibus addixit flammis.

Audi necis administer crudelissime; quod si ob alendi foetus molestias utero te tua expulisset genetrix tuâ operâ nemo abuteretur ad infanticidia fune flammisq; dignissima, nec matrimonii sentires difficultates & miserias inextricabiles. Aures mihi præbe mancipium libidinis, & serve foedissime quâ conscientiam pharmaca purgantia, crebrasque Venarum sectiones singulis ferè mensibus suadere non erubescis? Hucné telucrum, aut foemellæ favor impellit, quæ, ne plures concipiat liberos & ampla hæreditas unum alterumve maneat, tuo consilio utitur? Resipisce, Resipisce, inquam, ne aliorum peccatorum te adiutorem esse aperte profitearis!

C

Novi

Novi seculi nostri perversissimos mores, in quibus si mutationes sentiunt Virgines, aut viduæ pudicitiam amissam dolentes, dedecusque aliquot verentes; veluti variorum varium appetitum, ciborum quorundam fastidium, vomitum, nausæa matutinam, mammarum magmentum, & alias, quas recensere docere esset; illico arctissimo præcingentes sese cingulo cædis faciendæ experimenta prima sumunt: quæ cum successum fortita non sunt; ad medicum consulturos mittunt paulò imprudentiores viros, aut vetulas fulcatas cutem omniq; improbitate & astutiâ præcellentes: illæ pro re natâ ad severitatem composito vultu venerando, gestuq; humili opem suppressorum menstruorum expalpare gestiunt. Præcordia dolere ex ventriculi *ἀπειρία* asserunt, tumoremq; & pedes & uterum infestare insolitum affirmant: atque ut faciliùs fidem habeas matronas maritatas honore & opibus splendidas esse, quæ remedia postulent, dejerant & pejerant.

Cauti hîc medici cautè ! Et quid ni? Cum cavere sibi quisq; ab hoc opere periculosissimo debeat. Gravida si mulier in uterum vulneretur & exinde foetus moriatur, aut abortiat foemina; is qui vulneravit, tanquam cædis reus in iudicium trahitur. Trahantur etiam in iudicium quicumq; herbas & radi-

& radices abortivum promoventes è silvis & montibus conquirunt, decoquunt, suffitū illis faciunt, ventriq; imponunt, aut cucurbitulas femorū internæ parti apponunt, venasq; in utroq; pede aperire monent; cū homicidæ sint & naturæ his artibus reluctētur. Vult enim Jehova optimus maximus organa gloriæ suæ procreare, tubas suarum laudum efficere, cohæredes ipsius ac divinitatis participes futuros: & nos id omni arte crudelissimâ antevertemus? Quid, obsecrò, aliud est *θεομορχειν*, quàm igniculos naturæ procreatricis honestæ & divinæ continere, & ignes Sodomæ in caput suū arcescere? Quid amicis his latronibus aliud debetur, quàm funis & finis vitæ? Carnifices olim potionibus venenatis mortis damnatos è mundo vivorum tollebant: nunc eò res decidit, ut insontes etiam & indemnes poculis medicatis, vel potiùs lethiferis, ex utero matris ejiciantur. Quid aliud restat, quàm ut eadem Gomorrhæ fata experiantur.

Et fiant stygiis præda cremanda focis.

Sed revoco calamum, plura qui volet de hac quæstione legat doctissimas Colladonis animadversiones in Laurentii Anatomen capite sexagesimo quarto.

CAPUT VII.

Differentiæ
partus qua-
tuor.

Naturalis
partus quid?

Ad partum
naturalem
tres requi-
runtur con-
ditiones. I.

Galen. ad
Aphor. 37.
Sect 5.
9. Meta-
morphof.

2. Condi-
tio.

IN Partus naturâ investigandæ ejus super-
sunt differentiæ quatuor. Hinc partus a-
lius naturalis, alius non naturalis, legitimus
alius, alius illegitimus dicitur. Naturalem
partum definitio, perfecti ac consummati fœ-
tus justo tempore & figurâ in lucem emissi-
onem. Ad hujus autem perfectionem tri-
plex requiritur conditio. Una, ut par sit
contentio fœtus & fœtæ; ob communem
utrique actionem. Necesse est enim matri
partus afferre initium embryonem, utpote
jam grandiore & calidior, copiosiore
alimento spirituque egentem, & manuum
pedumque crebrâ impulsione membranas
disrumpentem: Atque id ipsum sagacissi-
mus Galenus: Ὅταν δὲ αὐτῶν, inquit, πλεονάζου-
σιν ἄλλα (scilicet αἷμα καὶ γάλα quæ ad nu-
tritionem pertinebant) καὶ αἰσθητοὶ ἢ τὸ παιδίον ζη-
τοῦντε πλεον τῆς ὑπαρχούσης τροφῆς, ἀσχηρίζουσι, καὶ τοὺς
ὑμέναιος ῥηγνύον ἀεχθὴν ἀποκνήσεως παρέχει τῇ μητρὶ. Et

Naso:

*Ut dolor increvit, seq. ipsum pondus in auras
Expulit &c.*

Uterus verò nimium gravidatus sarcini-
nam tandem deponere cupiens, totus ad
ejus exclusionem contrahitur; atque id,
quod modò sperma acceperat, perfectè ho-
minem formatum reddit. Altera est con-

ditio,

ditio, ut in lucem hac prodeat figurâ, quæ est secundum naturam. Et hæc maximè naturæ congruit forma, cum infans humoribus liberatus aërem sentit & hujus vitæ cupidus, exitum matricis versus volvitur, capite orificio matris obverso, deductis ad latera manibus & super coxas applicatis. Cur autem hæc figura maximè contingat *ἔπειτα φύσιν*, hanc Hippocrates reddit rationem: Quia puelli graviores sunt partes superiores, & umbilico appensæ, tanquam è statera quadam. Adde etiam, quod si in caput prodire soleat puellus, cum ejus partes cereæ sint ac flexiles, exeunti impedimento esse nequeunt. At si in pedes prodeat & brachia & pedes extendi dilatarique ita possunt, ut reliquo corpori facillimè aditum intercludant. Tertia: ut velox sit, facilis & absque symptomate, hoc est, citra foetus matrisque periculum, moderatis doloribus ac debito durantibus tempore, si neque secundinæ neque lochia detineantur, aut immoderatè fluant.

Fiunt autem doloris partus causæ, primò propter separationem foetus à vasis. Secundò ob velamentorum disruptionem cum insigni dolore conjunctam. Tertiò propter spiritus confertum impetum ad Embryonis expulsionem excitatum. Et denique

Jacob: Ru-
eff: Chirur-
gus Tigur:
de conce-
ptu & gen:
l. 3. c. 1. fol.

21.
Que forma
naturalis
exitus.

Ratio. 1.

Ratio. 2.

3. Conditio

Doloris
partus cau-
sæ. 1.
2.
3.
4.

C 3

nique



niq; propter exitum per tam angustas vias. Nec minus secundinæ impeditæ aut moram facientes, cerebro, cordi & ventriculo terribilia inferunt symptomata, ac dolores cruciatusq; exquisitissimos: quâdoquidē vaporibus putridis elevatis interiora corrumpuntur, & in utero morbus causatur difficilis.

Causæ re-
tentarum
secundarū.

I.

II.

III.

Causæ verò sunt, ob quas exitus earum impeditur, primò matricis notabilis debilitas, quæ nō tantùm ex impetu infantis & frequentiori motu accidere cōsuevit; quàm ex partus difficultate, nec non assiduâ matricis distensione & restrictione; quibus adeò debilitatur, ut indole nativâ & cōsuetâ virtute secundinis expellendis non sufficiat. Dein si secundæ matrixi intus adhæreât affixæ, quod creberrimè fieri assolet, cum copia humoris superflui in utero residua manserit, quæ matricem infestans, agglutinat secundas facili operâ; quæ haut aliter, quàm obstetricis manu revelli postmodò possunt. Tertiò: si nato statim puerulo, simul & semel aquæ, in matrice quæ sunt, diffluant & elabantur, quâ fit, ut exsiccetur unâ cum uteri collo asperiores reddantur & deinde exitus difficilior evadat. Lubricitas hac in causâ viarum oleis & succis convenientibus inducenda est. Quartò, quotiens matricis orificium propter exacerbatos partus dolores intumescit, quod fami-

familiares nimis est, nisi provida hocce malū cura declinet, difficulter secundinæ expelluntur. Quintò difficiles secundinarū ejectiones causatur uterios in partu primonimis restrictū. Novissimè impediunt secundi foetus receptaculi exitū quævis animi pathemata, aliavé subito casu advenientia, ut sunt odora-
 menta suavia, frigide aque potus, uteri velocior à partu conclusio, & denique umbilici infantis ab imperitiori obstetrice resectio.

Quotiescunq; igitur aut secundinæ morā longiorem traxerint; aut aliā figurā infans prodierit, non naturalem esse partum statuendum est, cum illum partus difficultas comitari non consueverit.

Porrò partus difficultas est, quæ cum matris vel subolis periculo accidit, vel ob gravissima symptomata, vel quia tardius procedit, & ita longissimos acerbissimosq; dolores mulierē pati necessum est. Causas habet varias: easque vel ratione foetus & foetæ, vel membranarum & causarum, quæ à foris sunt.

Ratione foetus difficilis obvenit partus. 1. si infans inusitatam assecutus sit magnitudinem. 2 si tener nimis sit & torpidus, nec valide nitatur ad exitum. 3 si caput amplissimum sortiatur aut geminatus prodeat. 4 si admodum exiguum illi natura

Partus difficultas.

Joannes Heurnius de morbis mulier. c. 8. Rodericus de castro part. 2. l. 4. c. 6.

Ratione foetus causæ sunt 6.

C 4

caput

caput tribuerit, quò fit, ut nec vias aperiat, nec ab obstetrice apprehendi possit. 5 Si mortuus aut monstrosus aut informem aliquam carnem secum iunctam habuerit, aut etiam aliquo præter naturam modo uteri orificio appropinquet. 6 Si foemella sit, eaque paulò debilior, quæ non ita sibi inter exeundum auxiliatur.

Ratione
mulieris
Causæ 8.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

Respectu foetæ variæ itidem occurrunt causæ, quarum prior est mulieris tenellæ imbecillitas, quæ se ipsam in partu adjuvare non potest. altera, quia nimis anhelosa, nec spiritum cohibere valet. Quibus accedit, si diu febribus fuerit implicata, unde foetum foetamque languere mirum non est. Si habitior & pinguior paulò sit; vigilias tolerare nequeat, & ultra quadragesimum annum protracta fuerit, nec parturitioni assueverit. Assignatur tertia causa: omenti obesitas vel nimia extenuatio. Quarta si uterus sit squalidus, vel morbi alicujus labores sustineat; aut vesicâ à lotio intercepto tumuerit. Quintò difficiliorem efficit partum intestinum rectum inflammatione obsessum inque eo excrementa indurata. Sextò partui obest angustia viarum, per quas eundem exire æquum est, aut tumor genitalium, vel caro iisdem adnata. Insigniter insuper dolores partus exacuit resolutio musculorum epiga-

epigastrii, ubi uterus pro necessitate contra-
 here se nequit: atq; etiam uteri cervix, si ob-
 liqua sit. Nec minus partum difficillio-
 reddunt tumentes hæmorrhoides, uteri di-
 stentio, oris strictura aut colli longitudo,
 aut si ossa pubis nimium conserta sint.

Ex parte membranarum ægra parturi-
 tionis ratio redditur; si aut non ob crassiti-
 em abrumpatur secundina, aut ob nimiam
 tenuitatem quantocyus dilaceretur, siqui-
 dem humore effluente præ siccitate non ju-
 stè devolvitur infans: aut si vasa umbilicalia
 collo prolis edendæ obvoluta sunt duobus
 aut pluribus interdum gyris.

Tandem causæ quæ à foris sunt, difficul-
 tatem partus non rarò inferunt: inter quas
 primatum obtinet aquilonaris constitutio,
 aut intemperata, veluti nimis calida, quæ
 cunctas corporis vires dissolvit, & dissolutas
 languidas efficit: frigida & sicca uterum plus
 justo consolidare & condensare consuevit:
 Insuper etiam animi *πεθίματα* variè mulie-
 res disponunt, quo minus huic actioni in-
 tentæ, quæ ad partum facilitandum perti-
 neant, dispiciant. Sed in his me sentio
 fuisse longiorem, cum in Germaniâ nostrâ
 omnes hi casus & causæ frequentissime sint,
 secus atque in aliis regionibus: nunc ad
 Partum Cæsareum deflecto; qui alter quasi

8.
 Ratione
 membra-
 narum tres.

Causæ ex-
 ternæ.

adversarius naturalis partus esse videtur.

Partus cæ-
sareus quid?

Est verò partus cæsareus aliud nihil, quàm dextra ac scita vivi aut mortui infantis extractio ex utero matris, quæ aliter fœtum excludere non potuerat, idq; citra vitæ utriusque discrimen, servatâ etiam concipiendi facultate. Verùm ut in uno eodemq; subiecto non eadem dominantur *rationes*: ita non in omnibus hæc sectio promiscuè administrari debet mulieribus, sed certæ quædam causæ sunt, ob quas ipsa administratio hujus remedii necessaria est, quas tum ratione prolis, tum ratione matris metior.

Causæ par-
tus cæsarei
ratione
prolis.

Ratione
matris

1.

2.

3.

Ratione prolis, si ea aut crassa nimis extiterit, aut gemini, vel plures unâ exitum affectent: si mola carnea, aut monstrum aliquod sit conjunctum: si situ tali prodeat, ut nec sui ipsius nec aliorû ope promptissimâ in meliorem traduci queat. Huc accedit, si jâ vitâ exhalarit, nec calcitrando membranas perirumpere possit, aut si aliquo morbo tantû tumoris nata sit, ut per loca consueta exitus omninò denegetur. Ex parte autem matris causæ sunt. Primò; si viæ angustiores solito deprehendantur, & naturâ meatus sit strictior idq; ob ætatem vel tenerâ nimis, vel nimis adultam ubi uterus exaruit. Secundò si ex cicatrice callo ve obducto angustior factus sit uterus, claususve omninò fuerit. Tertiò quando tu-
mores

mores in utero, aut ejus osculo suboriuntur insolentes. His de causis ab eruditissimis Medicis statutum est, ut & mulieri afflictissima & foetui innocentissimo hac sectionis administratione succurramus. Hoc modo Scipione qui ab Africa devicta nomen tulit, ex utero exsectum prodidit antiquitas. Non alia ratione Sanctius Navarre Rex augustissimus in lucem prodiit. Cum enim ejus mater venationi ferarum inteta per silvas vagaretur; a Saracenis circumventa & trucidata est vulnere in ventre accepto. Fortem fortunam tunc nobilis quidam Guevarra superveniens manumque per vulnus exercitam ostentantem deprehendens, foetum extraxit, & clandestinum in domo sua enutrivit. Orto vero non levi super principis electione dissidio, disceptantibus obtrusus est proceribus, qui eum cognitam re Regem unanimi consensu fecerunt, atque a mirifico hoc latrocinio nobilis Latronum familia in Hispaniam nomen accepit: Nec diversa ratione in Gallis plurimis opem latam esse presentissimam animadversum est: quam de re libellum elegantissimum multis exemplis & rationibus confirmatum Gallicano idiomate conscriptum a Francisco Rousseto, & a clarissimo Argentoratensi medico Melchiore Sebizio in Germanicam Linguam transcribit, plura qui petit, legere potest.

Scipio Africanus.

Sanctius Navarre Rex.

Vide Annales Hispaniae.

CA-

CAPUT VIII.

Partus non naturalis.

i. Jacob. Rueff. l. 4. species quindecim.

Partus contra naturam è diametro naturali opponitur; utpote, qui cum doloribus plus iusto tempore durantibus concurrit; omniaque naturali partui contraria habet. Potest autem melioris cognitionis gratiâ ad quindecim reduci species. Prima quando contingat foetum appropinquare matrici præmissis pedibus manibusque ad femora deductis. Hic obstetricis erit, linimentis convenientibus adjuvare, ne retrò feratur, sed uti cœpit, rectâ pergat, quod fiet; si brachia deorsum porrecta apprehendat, firmiterque teneat. Secunda, si accidat, ut rursus in pedes procidat, manibus supra caput elevatis. Hoc opus hic labor est: Cùm consultissimum sit ejusmodi partum in uterum repellere, inque legitimam convertere formam. Tertia: quando fiat, ut uno solum pede, brachiis tamen ad latera demissis exitum appetat, pede altero retroacto. Quarta: quoties eveniat, ut transverso modo appareat, surrectisque manibus & pedibus in latus procidat. Quinta: si pedibus manibusque distortis ad partum properare infantem contingat. Sexta cùm flexo poplite manibus circa femora demissis in genitalia incidat. Septima ubi unâ alterâve manu extentâ ad

tâ ad partum properaverit, alterâ ad femora protenta. Octava: Si utraque manu supra caput exporrectâ exitum affectet. Nona, quando natibus ad partum primò prociderit. Decima: si curvatâ cervicè, retroverso capite & pronis humeris, surrectis que pedibus & manibus se infans in partu exhibeat. Undecima: quando manibus & pedibus simul se offerat. Duodecima, si pectore pronò, retrò coniectis manibus & pedibus ad partum inclinè. Decima tertia, si gemini naturali quidem formâ adsint, sed simul exire gestiant. Decima quarta, si obversis pedibus matricis ori gemini in hanc lucem prodire velint. Ultima denique, cum geminorum alter in caput, alter in pedes feratur, & unus pede alterius, alter brachio arrepto se ad partum exhibeat.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

17.

Legitimus partus est, qui justo tempore prodit. Illegitimus contra, qui vel ante tempus illud, vel post erumpit in lucem, quod à naturâ ejusque ministris constitutum est. Hæ partus quatuor sunt differentiæ.

Legitimus partus.

CAPUT IX.

Absolutis, quæ circa partus naturam notabilia videntur; ad alterum propositi membrum accedo, quod partus tempora continet. Etenim omnibus in universum

versum



Rodericus
à Castro
Medic: po-
litic:l:4.c.
12.

versum animalibus certum, & definitū pariē-
endi constitutū est tēporis spatium: soli ho-
mini dædala mater natura denegavit. Prius-
quàm verò institutum exequar, verba nobis-
lissimi Lusitani præmittenda duxi; ut quæ
tempora naturalis partus sint, uno quasi in-
tuitu pernoscamus. *Nihil, inquit, frequentius à medicis Iureconsulti interrogare consueve-
runt, neque ullà in re magis inter se dissentiunt,
quam in tempore, quo naturalis partus continge-
re soleat, & à quo ac quomodo legitima com-
putatio sit incunda, tum ut noscant, cui assi-
gnanda hæreditas sit, cui verò deneganda, si for-
tè nuper nubta ante septimum post nubtias men-
sem: aut si vidua, decimo aut undecimo mense
à viduitate pepererunt; tum etiam, ut scelera hac
in re punire, aut à crimine liberare honestas
fœminas possint. Quos omnes casus & vidi-
mus. & de his nostrum fuit postularum judici-
um: Et constantissimè censemus septimo dun-
taxat, nono & decimo mense legitimum edi-
fœtum: Quicumque verò temporius aut seri-
us à viri absentia in lucem veniunt, suppositivos
& illegitimos esse. Hæc ille. Nos pro re
natâ partus humani tempora in tres dividi-
mus terminos: primum, imum & interme-
dium; quorum quilibet tria habet subordi-
nata spatia: Unū formationis, alterum mo-
tus & tertiū deniq; partus ipsius, sive exitus.*
Atque

Atque hæc tria spatia logismi nomen apud Medicos excellentiores meruere; eò quod veluti ex primo ratio motus sumatur, ex secundo, sive motionis tempore ratio ipsa sese exferat cognoscendi tempus partus & natiuitatis infantis: non adeò quidem exactis diebus, horis, momentisq; ; sed ^{σχεσια} quodam; cum & varia sint subiecta. Cum autem tota hæc doctrina mensium dierumq; mentione referta; initiò pauca de iis dicenda sunt.

CAPUT X.

Annus vertens in menses dissecatur, menses in dies. Dierum alius naturalis seu civilis est, alius artificialis. Ille tempus horarum viginti & quatuor, quibus scilicet semel cœli orbita circumvolvitur; cuius pars nox est, constituit. Diei autem nomen accipit à parte ejus nobiliore, & sub suâ appellatione ipsas etiam noctes continet: (Ex quo reprehensionem meretur Cic: l. i. of. fraudulenta illa induciarum paciscendarum ^{ficio.} ratio, quâ hostis noctu agros populabatur.) Hic, qui cursu solis ab ortu ad occasum definitur. Et quidem legitimi dici Macrob: l. i. Saturnal: c. 3. Gyraldus de annis & mensib. varia est inchoatio. Astrologi namque à meridie ejus sumunt initium: Babylonii ab ex oriente sole: Græci similiter: Hebræi ab occumbente: Romani à medio noctis.

Atque

Atque ut naturalis diei spatium æqualibus determinatum est horis: sic inæqualibus artificiosus; quarum unaquæque est temporis pars duodecima, quod inter emergentem & demergentem solem intercudit. Sic autem tempus dicuntur, quod diurnæ inæquales sunt nocturnis, & brumales æstivis. Dispersere solent diem naturalem peritiores in duodecim spatia. Primum est, mediæ noctis inclinatio: alterum gallicinium; tertium conticinium: quartum diluculum seu crepusculum matutinum, & ut Poëta loqui amat:

2. Metamorph.

*Quando vigil nitido tandem patefecit ab ortu
Purpureas aurora fores & plena nos arum
Æria.*

Quintum est clarum mane;

Mox ubi se nitido sol aureus extulit ortu.

3. Metamorph:

Sextum meridies, ----- cum Phœbus utraq;

Distat idem terrâ sinditque vaporibus arva.

Septimum est tempus occiduum, quod meridiem seu Pomeridianum sequitur: Octavum suprema tempestas, seu novissimum diei spatium, & cum

4. Fastor:

Demserit emeritis jam juga Phœbus equis:

Decimum prima fax: undecimum concubia nox, quod graphicè Ovidius delineat:

4. Metamorph.

Tempus erat, quo cuncta silent, imerg;

Triones

Flexerat obliquo plaustrum temone Bootes.

Et de-

Et denique nox intempesta. Nobis igitur in nostro instituto dies intelligendus est, qui ab ortu vel occasu ad alterum mensuratur. Porro mensium alius Solaris, alius Lunaris est: Solaris à sole denominari consuevit, quod in uno quoque Zodiaci signo detineatur; & dies tringinta complectitur, atq; proprius est nostri instituti.

Mensium
divisio.
Mensis so-
laris.

Cæterum lunaris mensis sub se tres complectitur species. ¹ Mensis coitus lunæ, qui nonnunquam dicitur civilis seu congressionis, & est illud temporis spatium, quod ab uno lunæ cū sole congressu ad alterum usq; mensuratur, quod quidem constat viginti novem dierum ac dimidii spatio. ² Mensis propriè lunaris appellatur, & definitur lunæ ab uno Zodiaci puncto in idè punctum progressionem & reditu, in quo utiq; luna viginti septè dies cum horis octo insumit, & is vulgò progressionis, peragrations & longitudinis mensis nuncupatur. ³ Illuminationis, impressionis seu apparitionis mensis vocatur, quod tum luna à sole sejuncta est, spatio tanto, ut accepto ab ipso lumine subdita corpora illuminare possit. Quod certè intervallum brevissimum est, utpote sex ac viginti dies solum continens cum horis duodecim.

Mensis lu-
naris tri-
plex.

Dixi non multò antè proposito nostro accommodatos esse solares menses; Cùm

D

Hippo-

Hippocrates septimestrem puerū legitime natum tres hebdomadarū decadas scripserit continere; quæ ducentos decemq; dies conficiunt. Hebdomas enim integros septē dies continet. Hos igitur ducentos decemq; dies septenario numero si partiamur, triginta exsurgent dies. Quod si autē inficiaberis solares intelligendos menses esse in temporum cōputatione, eò quòd priscis & præsertim Græcis inusitata hæc numerādi fuerit ratio; utpote qui totū anni cursum ad lunæ rationem subduxerint, nec alios, quàm lunares menses agnoverint, nondū in eā formā anno redactō, quæ nobis usitata est: Facile tibi assentiar, cū exiguū intersit solaribus aut lunaribus civilibus uteri gestationem metiri, cū ferè in unū idemq; res recidat tota, nec ultra dierū quatuor vel triū spatium deficiat; ut partiendi facile patebit. Atq; hæc sunt quæ de mensibus ac diebus præmonēda fuerunt.

CAPUT XI.

Prim^o partus termin^{us} septimus mensis.

Joh. Matthæus con-
tur: diffi-
cult: medic:
quæst: 88.
septime-
stres tripli-
ces. I.

Parturitionis terminus naturalis primus septimus à nobis constituitur mensis, & quos in hoc tempore nasci cōtigerit pueros, septimestres dicuntur: atque hi ipsi triplices. Vel enim citius, vel medio tempore, vel serius tandem in has auras vitales procedunt: idq; ratione conformationis & motus. Quod si enim vigesimo tertio die cōformatio

tio

HUMANUS.

SI

tio peragatur, si triplicado multiplices hocce spatium habebis tēpus motus, quod dierū erit sexaginta novem. & motus tēpus si multiplicando triplices dies provenient partus ducenti & septē. Hippocrates hocce spatiū

Ait enim *οι ἐπιζωμνηνοι γίνονται ἐκ τῶν ἑκατὸν ἡμερῶν καὶ ὀγδοήκοντα, καὶ δύο προσόντ' ἑμορίου.* Atq; hi ipsi editi foetus raro superstites deprehenduntur, cum debilissimi sint nec eā membrorū

παχύτητα obtineant, quam quidē debebant.

Hinc est quod Medicorum Princeps ait:

ἐπι δὲ αὐτῶν ἐπιζωμνηνων καὶ περιγίνονται ἐκ πολλῶν ὀλίγα. Et paulò post: ὀλίγα δὲ καὶ τούτων ἐκτρέφεται.

οὔτε γὰρ τὴν παχύτητα ἔχει, ἢν ὑπερτετέλεωταιτα ἔχουσιν οὔτε πόνοι οἱ ἐν τῇ μήτρῃ οὐ πάλαι παπονημένοι εἰσὶν αὐτοῖς ὡς λεπτόν γενέσθαι.

Si autē conformari cōtingat embryonem die 24. Arithmetica ratione colliges motionis spatium septuaginta duorum esse dierum, atque ex eo partus dies

erit ducentissimus decimus sextus. Hippocrates itidem pro singulari suo ingenio ducentos decemque dies huic parturitioni attribuit.

Denique si conformatio fiat die 25, intra dierū septuaginta quinque longitudinē movebitur, & in lucē post dies ducentos & viginti quinque erūpet.

Hæc igitur regula notanda est, quæ nunquā fefellit: Quando- cunque in septuaginta 5 diebus vel nona- ginta novē vel circa, mulier infantē moveri

sentiāt, judica hanc septimo mense pariturā.

sentiat, judica hanc septimo mense pariturā.

l. de septi-
mestri par-
tu.

Initio septi-
mi mensis
editi mo-
riuntur.

ibidem.

Ratio cur
initio septi-
mi mensis
nati citò
moriantur.
2.

l. περί ἀρχῶν.

3.

Brasa vol:
Aphor:
Hippocr. l.
1 4.

D 2

Et

Hippocr. 1.

*περὶ ἀεχμῶν.*Aristot. 1. 7.
de histor.

animal. c. 4.

Krantzius

l. II. Saxon.

c. 21. fol.

298.

Et sanè legitimum hunc esse partus humani terminum primùm non modò doctissimi Hippocratis, Galeni & Aristotelis consensus, verùm ipsius etiam rationis evincit veritas, & quotidianorum exemplorum farrago. Hic Plinius suggerit, alios ut Sileam, Sempronium & Corbulonem coss. viros septimo mēse à Vestiliâ matre in lucem editos. Hic fide dignus Krantzius de partu Annæ Badensis septimestri, quæ ob hunc à Gerardo Duce Schleswiccensi repudiata fuit, testimonium perhibet.

In Novo-Foro, patriâ meâ accidit anno restitutæ salutis millesimo sexcentesimo, Augusti die vigesimo octavo, quem tum falciferille senex nomine suo comprehenderat, ut geminæ septimestri partu ederentur civi cuidam Bartholomæo Heischio; prima circa mediū noctis, altera circa quartam matutinam; Barbaræ insignitæ nomine, quæ tamen à Baptismo ambæ periēre; quod ob sexus infirmitatem contigisse existimandum est. Etenim cum tardiùs conformatus sit, ea, quæ ad *τύπωση* motum & partū requirebantur necessariò observare non potuit; indè quidem vitalis factus, sed non diu superstes. Sed, quid multis exēplis opus est? cū rationes validæ supersint, quæ vitales esse septimestres partus arguant.

Astro-

Astronimi quidem ut omnia suis legibus, ita etiam hinc ex planetarum errabundo cursu & rationem investigare, & investigatam assignare satagunt. Ajunt enim primo mensi Saturnum infaustum alioquin rectorem esse, secundo Jovem salutarem illum dominum; tertio Martem rigidum dominari: quarto Solem, magnum illud & splendidum amicumque humano partui astrum: quinto Venerem imperare, sexto Mercurium, & septimo denique Lunam, quae in partu satis est benigna; unde Lucina veteribus dicta, quod ejus opera in lucem suboles exeat, ex quo non inconcinne Catullus

Tu Lucina dolentibus

Juno dicta puerperis.

Et proinde qui septimo nascantur mense, merito vitales esse & superstites manere. Sed quam pie & vere ipsi viderint, qui plausum expetunt. Pythagorici ad numerorum vim ac praestantiam hocce referunt: Geometrae ad duplam conformationis ad motum & triplicem motum ad partium proportionem; quae omnia facile cum nive Sirio fulgente liquefcunt. Meliorem itaque, qui rerum naturalium abditas causas casusque scrutantur, rationem afferunt: Quia scilicet statuti sunt termini certae naturae generationis septimus & nonus mensis: Illi, qui citius animantur, citius perficiuntur.

Astronomorum ratio.

Pythagoricorum ratio.

Geometricorum causa.

Physicorum rationes.

tur, septimoque; mense perfecti exeun-
tes vivunt; hi, si sexto erumpant mense vita-
les nequaquam erunt; quia imperfecti.

Illi, qui tardiùs animantur, tardiùs etiam
perficiuntur, & hoc est nono mense vel su-
pra nonum, hique non sunt perfecti in octa-
vo mense, quam ob causam nec octimestres
supervivere cernimus. Illi ergò, quos in
septimo mense perfectos esse contigerit, vi-
vunt, si in septimo mense gignantur, imò si
in principio octavi. Necessè est enim puerù
satis validù membranas disrumpere exitumq;
sibi parare, præsertim si fuerit masculus. At
octavo mense si prodire soleat infans licet
perfectus sit, vitalis tamen non erit, quia du-
as afflictiones sibi invicè succedentes tolerare
nequit. ¹ Septimo enim mense plurimùm ad
exitù nisus est, nunc eundè repetit conatù viri-
bus nõdù reparatis, unde nõ potest supesse.
² Quin etiam octimestrè succumbere fœ-
tù necesse est, quia post diem partus prodiit,
qui septimestris esse debuerat, ejus autè præ-
vertit diè, qui nonimestris erat futurus: un-
dè sinistri quippiam accidisse in utero cõjici-
endum est, quod vel septimestrem partù tar-
darit, vel anteverterit nonimestrem. Hic

Andreas
Laurentius
Anatom: c.
16. quæst.
38. de causis
partus.
Aliis l. 8. de
formal: fœ-
tus quæst:
31.
Octime-
stris cur nõ
vitalis?

De septi-
mestri par-
tu.

sumus Dictator sententiã ferre gaudet non
absonã : ὅσαι δὲ τῶν γυναικῶν ἔτεσκον πολλὰ πᾶσι δια-
καί τι αὐτέων ἐγένετο χαλόν, ἢ τυφλόν, ἢ ἀλλότι κακῶν
ἔχου;

ἔχον, φήσουσιν ἐπὶ τῶν τούτων τοῦ παιδίου τὸν ὄγδον μῆ-
να διαγαγεῖν, ἢ ἐφ' ὧν ἔτεκεν οὐδὲν κακῶν ἔχοντων. Pergit
atque rationem affert hujus : Foetus enim
mancus in octavo mense fortiter ægrotavit,
ut etiam morbum abscessum fecerit, quæad-
modum etiam in viris fortes morbi faciunt.
Ex his igitur constare unicuivis potest, ne-
quaquam octavum mensem inter naturalis
partus terminos numerandū esse, cūm vita-
lem prodire foetum nullum permittat: legi-
timum esse contra septimum mensem puer-
perii spatium, cum vitalem exferat subolem.

Causæ verò ob quas septimo mense pariat
mulier tres sunt. Una est foetus sive partium
perfectio cui duobus sequentibus mensibus
nihil additur amplius, sed solūm roboris.

Altera est celer motus; ex quo triplicato
numero certissimo argumento puerperii tē-
pus agnoscimus. Tertia deniq; est vulvæ ex-
pletio, quā maturo foetu distenta laxari inci-
pit; idq; vel ob locellorum angustia, qui foe-
tui grandiori retinendo non sufficiunt; vel
ob uteri vim validissimā in forma ricē uti-
lēq; ac moderatū sanguinē foetum celerius
explicantē; vel etiā propter genitalis seminis
naturam; quæ alia atq; alia est in alia atque
alio: & deniq; ob lunæ positurā tēpore cōce-
ptionis; Quādoquidē longo usu cōpertū est,
genitos ipso interlunio aut ante pleniluniū

Causæ se-
ptimestris
partus. 1.
Roder. à ca-
stro part. 1.
l. 4. c. 3. de
morbismu-
lier: 2.
3.
Vulvæ ex-
pletio ob
tres causas.

- 1.
- 2.
- 3.
- 4.



temporiùs ad maturitatē pervenire, & fecundius crescere in utero: Non aliter atq; facta & arbores eo tempore consitæ, nec non ungues & capilli cæsi temporiùs repullulant, quia tū partes succulentiores sunt, magisq; excitata in seminibus ac radicibus generativa virtus. Ideoque haut mirum est eodē tempore vegetius esse semen humanum & uteri virtutem multò præstantiorem efficaciorēque deprehendi.

Utrum aliquis terminus velocior.

Concludo tandem nullum alium esse terminum maturiorem puerperii legitimi; septimo mense, sive lunarem civilem, sive solarem hīc mēsem intelligere velis: quandoquidem ipse Hippocrates citato paulò antè loco principio septimi mensis, id est, diebus centum octoginta & duobus natos, rarò superstites durare asserit. Occurrit mihi non absimilis negotii casus, qui paucis abhinc annis accidit.

Cū enim cujusdam conjux nescio quo fato sinistro, prole ederet centesimo septuagesimo nono die à nubtiarum festivitate inter septimestres referri voluit, lege ex Bartholo quadam allatā, quā uniuscujusque anni dies primus pro integro sumitur anno. Sed quā incepta mihi hæc defensio videatur, dicere vix audeo, cum summam naturæ offensionem afferat. Lex enim illa, quā Ju-
recon-

reconsultorum, terminos naturæ præscriptos nunquam immutare, nedum transilire valet, utpote quibus & ipsa circumscripta. Memini enim audire me ex præceptore ter venerando legem hanc ad honorum amplitudinem accommodam, non ad innovationem eorum, quæ naturalibus comprehensa legibus, nullo alio decreto doctorum indigent.

Exempli appositione clariora hæc evadent. Etenim si Doctoratus insigniis honestatus aliquis fuerit, ille primo diei æquè Doctoris nomina & titulos obtinet, ac si per totum annum iisdem esset usus: Nec minus si Electoriam dignitatem principi per ætatem consequi liceret octavo & decimo anno, hac lege eam suscipiet, si primum ejusdem anni diem attigerit. Quâ fronte igitur hanc tuam legem applicabis ad naturalem rerum cursum? Fiat necesse est, ut, quod Philosophus abhorret *δολέοντας ἐνὸς αὐτόπου τ' ἄλλα συμβαίνει*. Siquidem hac ratione priusquam conformaretur & moveretur infans in hanc lucem ederetur.

Partus computatio communiter à conceptionis die ordiendâ statuitur, dummodo is cognosci possit; sin minus à mensuris, nō quidem ab iis, quæ ultimò fluxerint, sed ab eo tempore, quo primùm defecere, cum ta-

Partus cō-
putatio un-
de ordien-
da.

D 5

men

men fluere oportebat, ac expectarentur. Vigore utiq; hujus legis nullâ opus foret cōputatione, quando quidē cujuslibet mensis initiū pro cōpleto habendū esset. Attamen inter septimestres relata est, non quidē per figmenta legū, sed per pigmenta credo, quæ omnium favorem elicere possunt, & expugnare severitatem.

*Aurum quando rubet, scintillat flammula amoris;
Splendēte argento, splendet quoq; flamma favoris!*

Hæc de termino naturalis puerperii primo & celerrimo ex medicorum eruditissimorum scientiâ dicenda fuerant.

CAPUT XII.

Secundus
parus ter-
minus.
l. 6. de locis
affect. fol:
64. c. 6.

INtermedius parturitionis terminus nonus & decimus mensis est, utpote quo tempore maximè vitales sunt fœtus & legitimi. Hinc Galenus πῶς ἂν εἴη τῆ φύσει θαυμασιώτερον, τρῶ μῆσιν μὲν ὅλοις ἔνεα μέμυκέναι τὸ τῆς μήτρας σόμιον οὕτως ἀκριβῶς, ὡς μηδὲ πυρῆνα μήλης παραδέχεσθαι, τελειωθέντ' δὲ τοῦ κυσσομένου διασαλιν ἰχθυηλικαύτη, ὡς ὅλον δὲ ζῶν ἐξέρχεσθαι δι' αὐτοῦ.

Et quid nī familiarissimus sit mensis nonus partui humano? Quippe qui medium extremorum contineat & naturæ admodum consuetus. Nec minus frequentes satis sunt partus decimestres: unde Poëtarum Phoenix:

Matri longa decem tulerant fastidia menses

l. 1. κντηραπικῶν v. 493.
Amphitruon.
Actor. 2.
Scen. 2.

Adjicit hīc calculum Oppianus cilix:

*ὡς δ' ὅτε τις κούρη δέκατον περὶ μῆνα σελήνης
πρωτοτόκ' ἄλοχῆσιν ὑπ' ἄδνεσσι τυπέισκε*

Similiter ὁμόψηφ' est Plautus.

Sof: *Ad aquam præbendam commodum adcepero*
Dich-

Decimo post mense, ut rationem te ducere in-
telligo. (numerum cape

Item: *Nam tua gnata peperit decimo mense post,*

Sapientiae cap. 7. v. 12. Ecce in utero matris figuratus sum caro, tempore decem mensium coagulatus sum ex semine viri, idque per voluptatem conjunctam cum somno. Ubi utriq; ex semine viri, ita intelligendum venit, quasi vir sapientissimus ex virili sive masculino semine dixisset, quod etiam in foeminis politissimus posuit Hippocrates. Caeterum, novem menses nati, sive diebus ducentis & septuaginta, trigensimo die conformantur, & die nonagesimo moventur. Quod si autem die ducentesimo septuagesimo nono parturire foeminam videas, conformationis spatium, die uno super triginta, & motum nonaginta, tribus diebus peractum judicabis. Inde versus non inelegantes adponere placuit.

l. i. de diata

*Sex in lacte dies, ter sunt in sanguine trini,
Bis seni carnem, ter seni membra figurant.*

Si vero trecentesimo die parturitio fiat, decimemestris erit foetus. Sed ut antea dictum, menses nostri magnam habent latitudinem, ita, ut non solum nonimestris nomen obtineat qui perfecte completo illo tempore nascatur; sed etiam qui vel citius, hoc est, initio ejus, vel serius, id est diebus aliquot sequentis mensis accedentibus, nat^o est.

Cur. a. hocce natura sibi tempus potissimum definierit, Arithmetici ad numeri imparitatem ejusq; praesentiam unice referunt: Et primum quidem septenarij excellentiam multis exaggerant modis, quae sequitur novenarius utpote impar, quo fiat, ut vitalis foetus nascatur, & quia non^o dies morbos judicet, & annus rerum vitaeq; rationem ac gravia inducat pericula: Hinc usu venire solet ut sexagesimus tertius annus; qui utriusque numeri

c. 7.
& se-

& septimi & noni multiplicatam sumam cōtinet, nō sine periculo ingruat. At inquires, si solum numeri imparis præstantia est in edendo fœtu, quid decimestres, qui tamen & ipsi perfecti nec impare gaudent numero? Hic respōsum ferent Pythagoræ alumni ex paribus solum perfectum esse denariū, & qui reliquorū omnium perfectionē & complementum cōtineat: Ex quo fiat, ut nullus antecedētium numerorum augere denarium possit, & qui succedant omnes ex decimo & præcedentium aliquo cōstituantur. Quæ omnia, ut facili nituntur fragiliq̄ue pedamento, ita facilē ruunt:

CAPUT XIII.

*Undecime-
stres.*

Ansint?

*l. de naturā
pueri.*

*l. 7. de natu-
rā anim: c. 4.*

Idem Agell.

*Noct. atti-
car: l. 3. c. 16.*

TEmpus ultimum partitudinis undecim mensium spatio terminatur: quod tamen satis rarum est, nisi qui fortē nascantur principio ejusdem mensis. Quanquam verò maximā super hoc disceptatione invicem decertent Medici, Jureconsulti & Philosophi, tamen in eam inclinare partē libuit, quam ipsa experientiæ veritas suffulcit. Hippocrates quidem longissimum gestationis tēpus decimū mensem esse arbitratur; *ἐν δευτ. πρῶσι* (inquit) *ζίηεται ταῦτα τὸ μακροτάτον*, cum tamen etiam libro de octimestri partu undecimestres simul admittat. Pari ratione diligentissimus naturę indagator Aristoteles asseveranter astruit contingere nonnullos nasci pueros undecimo mense, sive intra dies trecentos & triginta: cui adstipulatur.

Plinius qui Vestiliam ex Cajo Herdicio, Sullium Rufum undecimo mense in lucem edidisse disertē pronunciat Gellius utique fœminam honestis ac pudicis præditam moribus undecimo à morte mariti mense peperisse memoriæ mandavit, & causā ad Imperatorem Adrianum delatā, decrevisse ipsum undecimestrem quoque subolem

lem legitimam judicandam esse. Año à Christi *Joachimus*
αυθεντων auspicatissimâ humano generi nativitate *Beust.*
 millesimo quingentesimo sexagesimo septimo *1567.*
 Witebergæ fœmellam in initio undecimi mensis
 post obitum patris natam pro legitimâ habitam,
 literis consignatum est. Quæ cum ita sint, jure
 assignatum septimo mensi primum partitudinis
 terminum, intermedium Nono & Decimo, ulti-
 mum autem Undecimo, concludere licet. Et
 sanè parum me movêt, qui Massurii & Avicennæ
 innixi fide duodecimo & decimo tertio & deci-
 mo quarto mense posse fœtum gestari constanter
 affirmant, cum & rationes illorum naturæ ordini
 & legibus adversentur, & exempla adducta rara
 & extra artis considerationem constituta depre-
 hendantur.

CAPUT. XIV.

Partitudinis eruendis causis intento [quod *Cause par-*
 propositi nostri efflagitat ratio,] duplex se *tus duplex.*
 offert causarum consideratio: Universalis
 una, altera particularis, & illa quidem vel ex parte
 fœtus vel ex parte uteri agitanda. Etenim fœtus
 respectu triplicè video rationem, ob quam in has *Ratione fœ-*
 auras prodeat; quarum prior est respirationis de- *tus tres cau-*
 fectus. Cum enim crescente puero indies magis, *se. 1.*
 que magmentum sumat cordis calor, diutius sine
 ampliore ventilatione vitam tolerare nequit, id-
 circò ut sibi consulere possit, limites posuit na-
 tura, intra quos se auxilium offerat. Statuendum
 utique est grandiorum calidiorumque factum in- *l. de natura*
 fantem transpiratione per arterias subministratâ *pueri Galen.*
 contentum esse non posse, sed ad exitum conci- *l. αειρείας*
 tari, velut auctor est Hippocrates. Statuendum *ανάπνοης* *Ε*
 est, inquâ, necessariam esse infanti respirationem, *αει τὴν ἀνα-*
 cum ob temperationem & nutritionem, tū pro- *πνοῦς ἀπὸ τῶν*
 pter expurgationem. *Tem-*

In l. Hippoc.

6 ἐπιδημιῶν
mshif. 246.
250.

Temperatio necessaria fuit, ne cor ob perennes & assiduas motiones conflagrationis incideret periculum. Quippe aër inspiratus, tanquam flabellum quoddam cordis refrigerationi inservire debet. Deinde aëris inspiratione cessante nativus noster calor, in ardoem febrilem mutaretur, non sine vitæ præsentaneo exitio: de quibus Galenus ingeniosissimè in sextum Hippocratis librum de morbis popularibus differit.

Hippocrates

l. περὶ τροφῆς.

Respirationis causa altera nutritionis est necessitas, ἀερί, ait Medicorum princeps, τροφῆς πνεύματος, ῥίνες, στόμα, βρόγχος, πνεύμων καὶ ἡ ἄλλη διαπνοή. Reficitur autem spiritus aërius non aliter nisi aëre sibi consociali.

2. Causa ex parte fœtus.

Ratio ultima aëris ductionis est expurgatio, quâ vapor fumidus excluditur, ne cor per oppressionem suffocetur. Aspice, quam subito flamma copioso fumo extinguatur: pari ratione calorem extinguerent naturalem in infante vapores fumidi non seclusi. Secunda sequitur causa, quæ prolem humanam ex utero ejiciat, alimenti solidi scilicet defectus. Siquidem vero est consentaneum formati & firmati omnibus partibus uberiorem infantem nutritionis & alimenti materiam desiderare, quâ deficiente calcitrando rumpat membranas, quibus circumdatus fuerit; quam in sententiam venerabilis noster senex de naturâ pueri: Ὅσοταν ἀυξήθῃ τὸ παιδίον οὐκ ἐπιδύναται ἡ μήτηρ τροφήν παρέχειν ἀρκίουςαν, ζητεῖόν οὖν πλείω τροφήν τῆς πρεσόνσης τὸ ἐμβρυον, ἀχαρίζον ἐγγυσι τοὺς ὑμένας καὶ λυθέν τοῦ δεσμοῦ χωρεῖ ὁμοῦ ἕξω.

3. Causa.

Denique exitum proles causatur figura ejus vel corporis magnitudo, statura satis formata, roburq; addecens, quo primo statim impetu tunicas cum venulis rumpit, & ad exeundum nititur. Ex hac

hac ratione; ex parte fœtæ sive uteri tres exsur- *Rationes*
 gunt partitudinis causæ; quarum prima est uteri *partus ex-*
 quantitas parva, quæ ulteriorem distentionē ferre *parte fœtæ.*
 & sustinere non potest. Secunda Gravitas fœtus 1.
 adaucti molestissima, quam toto conatu ponere 2.
 cupit, vi expultrice strenuè ad ejiciendum fœtum
 cōnitente. Tertia est excrementorū redundantia, 3.
 quâ offensus uterus eorū exantlare sentinam
 gestit, simulque

Viventem partum tradit sub luminis auras.

CAPUT XV.

HActenus generales ex parte fœtus & fœtæ *Causæ par-*
 partus causas brevi filo & stilo proposui- *tus particu-*
 mus; sequuntur speciales, de quibus ul- *lares. 1.*
 timo hoc agendum capitē; eæq; multiplices. Prior
 est vivendi diversitas, quæ secundum quatuor an-
 ni cardines distributa variat. Ver enim, quod ab
 octavo idus Februar: ad octavum idus Maji ex-
 tenditur, calidum & humidum. Æstas autem ab
 8. id. Maji ad 8. Aug. calida & sicca. Auētumnus ab
 octavo id: August: in idus Novembris frigidus
 & siccus. Hiems deniq; , quæ ab 8. id. Novembr.
 ad 8 Id: Febr: extenditur, frigida est & humida.
 Necessè est igitur tēporū diversitatē facillimè va-
 rietatē part^o importare, variasq; adducere causas.
 Altera est ratio Temperamentorum naturaliū 2.
 differētiæ, & adscititorū, quæ aliā atq; aliā victus
 moderatione, vel cibi potusq; assumptione immu-
 tari consuevère. Consuetudo tertiæ causæ vicem 3.
 subit, quæ acquisititia quædā natura est; & pro po-
 tenti suo ausu variorū mutationem inferre solet.
 Nec min^o diversi animi motus, qui ut paulò ante 4.
 diximus diversissimarū operationū ministros sese
 præbent, varia partus symptomata causari solent.
 His affines sunt temporū & siderū constitutiones 5.
 variæ, quæ alio atq; alio modo concubitus finem 6.
 consti-

constituunt. Huc referenda est seminis humani discrepans natura, nec imērito. Nam quemadmodum in genere tritici, semen quoddam reperitur, quod tribus mensibus fructificat, unde etiam trimestre appellatum est; quoddam verò quod mensibus pluribus: Ita in genere genitalis seminis humani quoddam esse credibile est, quod temporius, aliud quod serius proveniat. Accedit insuper quod omnibus animantibus statuto insit tēpore coitus appetitus, quo expleto quiescant; Sola verò mulier, quantūvis gravida, nunquā viri respuit amplexus, unde variæ tenello foetui alterationes accidunt, non secus atq; agri consiti non sine seminū injectorū pernici perniciē aratro aut vomere proscinduntur. Ultimo deniq; inter partus humani causas jure annumeranda pervigil illa & perpes in Dæo cura, (sed cura tamē secura) quā res omnes inspicit, adit, cognoscit; & cognitas imotā quadā & ignotā serie dirigit ac gubernat; ut humanæ naturæ species conserventur.

7.
l. Lipsius. l. 1.
de constant.
c. 14. 8.


Illa enim ipsa provida mens, quæ cœlum hoc quotidie volvit & revolvit, solem ducit, reducit, fruges promit & recondit, non aliā ratione homines conservari voluit, quā moderato & nativō quasi fœminæ & viri consortio.

Sed ne in aliā disputationē ex obliquo abeam, partus humani secundum naturæ seriem constituti, hæc conditio, hæc tempora & causæ sunt, quæ breviter enumerare & licuit & libuit, tum ut uno quasi intuitu quæ circa eundem consideranda essent animadvertamus: tum etiam ut Jehovæ ter Optimi Maximi sapientiam plenis buccis dilaudemus, qui omnia certo numero, mensurâ & pondere disposuit, cui sit laus, honor & gratiarum actio.

F I N I S.

SYNOPSIS BREVIS TOTIUS DISSERTATIONIS.

IN PARTU HUMANO CONSIDERANDA SUNT IRIA.





STYNGER
DISEL

STYNGER
DISEL

STYNGER
DISEL

STYNGER
DISEL

STYNGER
DISEL

STYNGER
DISEL

STYNGER
DISEL

STYNGER
DISEL



AB: 154 189

ULB Halle


3


006 792 316



VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

ARTUS HUMANUS

Sive

SSERTA

ERBREVIS DE HU-
ARTUS NATURA, TEM-
IS, ET CAUSIS; EX MEDI-
veræ Medicinæ Theoricæ eruta,
& concinna Methodo pro-
posita

a

UNRADO RHÜMELIÖ
edicinæ amatore, F.

Valer. Maxim. libr. 8. c. 3.

ni artis suæ professores sunt;
& propria studia verecundè & aliena
imantur

NORIBERGÆ.

MONIS HALBMAYERI,

Anno

MDCXXIV.

